

(X1877352)

POSITIONES JURIDICÆ
CENTVM,

B. M. II, 375a

h. 72, 29.

Quas

SUB PRÆSIDIO DIVINO

DECRETO ET
AUCTORITATE
AMPLISSIMI ICTORUM
ORDINIS IN INCLYTA
ARGENTINA,

PRO OBTINENDA SUM-
MA DE VTROQUE JURE RE-
SPONDENDI LICENTIA, AC
PRIVILEGIIS

DOCTORALIBVS,

Publicè tuebitur

REINHOLDVS DERSCHAVW
Prutenus.

Mense Iulio



ARGENTORATI,

Excudebat PAVLVS LEDERTZ, Anno
M. DC. XXVIII.



POSITIO I.



Inis jurisprudentiæ nostræ non particularis tantum est justitia; sed universalis.

II.

Res vendita præcisè emptori petenti soluto pretio tradenda est; nec liberatur præstando id quod interest, modo tradendi facultatē habeat.

III.

Furem cum re nostra maximè pretiosa aufugientem, licitè insequi; imo si facultas hæc sit adempta sclopeto sistere possumus.

IV.

Defensio juræ naturæ permissa est cuilibet, non tantum adversus parem; verum etiam superiorem, patrem videlicet, magistratum & principem.

V.

Legatus ita demum Legatorum jure ac privilegiis gaudet, si se legatum non proditorem ostendat.

VI.

Actiones jurigentium essentialiter adscribendæ sunt; non juri Civili: nisi ratione formularum & quarundam solennitatum.

VII.

Nuptiæ sine consensu parentis contractæ, ipso jure nullæ sunt.

VIII.

Exceptio non numeratæ pecuniæ intra biennium opponenda; post tempus illud elapsum quantitas in chirographo expressa omnimodo exolvenda.

IX.

Vasallus patrocinium alicuius contra Dominum suscipiens, meritò tanquam malefidus feudo privatur. Nec juvatur si dicat, se necessitate muneris coactum fuisse.

A 2

Non

X.
Non video quare fastidire debeamus definitionē
juris naturalis à Justin : traditam : nisi eodem impetu :
jurisgentium improprietas aut vitii arguere velimus.

XI.
Apud legatum proconsulis manumitti potest, &
si proconsul ipse in provinciam nondum pervenerit.

XII.
Legitimatio quæ fit per subsequens matrimoni-
um etiam hodie utilis est; neq; existimandum cum Ant.
Math. eam moribus nostris esse sublatam.

XIII.
Legitimati per subsequens matrimonium etiam
in feudis succedunt; nisi statuto aliquo speciali exclu-
dantur.

XIV.
Viduæ, pupilli, & aliæ miserabiles personæ : sub
quibus studiorum causa peregrinantes comprehendun-
tur, adversarium, cuius potentiam reformidant, neglecto
iudice inferiore, ad ipsum principis tribunal evocandi ha-
bent facultatem.

XV.
Usui meri imperii non præscribitur propter inter-
missum exercitium, si nullus fortè casus se obtulerit.

XVI.
Usufructuarius usumfructum suum vendere, loca-
re, donare, & alio modo alienare potest.

XVII.
Si creditor duo vel plura de eodem debito penes
se habeat chirographa, uno reddito, non protinus præsu-
mitur debitum remisisse.

XVIII.
Pactum inter advocatum & clientem de quotali-
tis, iura Civilia improbant, & ideo nullum potest habere
effectum.

Filia

XIX.

Filia quæ semel loco legitimæ congruam accepit dotem, & hereditati patris renunciavit; licet facultates eiusdem postea augeantur; supplementum tamen haud re-
ctè petet.

XX.

Jus Civile ex pacto nudo regulariter nullam largitur actionem. Jura Canonica & mores nostri hodierni, sublato stipulationum usu, contrarium receperunt.

XXI.

Pacta incontinenti contractibus etiam stricti juris adjecta ex parte actoris insunt, si substantiæ & naturæ ejusdem non repugnant.

XXII.

Transactio de crimine capitali cum parte agente facta, non præjudicat magistratui.

XXIII.

Cæcus judicandi munere fungi in plerisque causis olim potuit, & hodie potest, si à magistratu ad causam cognoscendam aut disceptandam delegetur.

XXIV.

Cessione bonorum facta, debitorem ad peram usque & extremum sacculum excutiendi jus habent creditores.

XXV.

Creditor fidejussorem acceptum dimittere non cogitur, etiamsi debitor alium æque idoneum offerat.

XXVI.

Socer beneficium competentia perdit, si dolosè generum in promissione dotis circumvenit.

XXVII.

Non est absurdum ut aliquis sit focer & gener, socrus & nurus, etiam respectu eiusdem.

XXVIII.

Creditor posterior in ordine, priori pecuniam of-

A 3

ferens

ferens in eius locum succedit, ut intermediis præferatur :
sed in ea duntaxat quantitate, quæ priori debebatur.

XXIX.

Qui contra prohibitionem alterius fundum venandi
animo ingreditur, injuriarum actione à domino cõveniri
potest. Feras tamen ipse retinet, si earum possessionem se-
mel nactus est.

XXX.

Thesaurus in fundo feudali inventus Vasallo in totum
cedit, si ipse eum detexit ; alioquin pro parte dimidia in-
ventoris erit.

XXXI.

Fur est, qui rem alterius fortuito amissam inveniens
occultat, nec vero Domino maturè restituit.

XXXII.

Promiscuus venationum usus jure optimo à principi-
bus sublatus & subditis ademptus est.

XXXIII.

Bonæ fidei possessor omnes omnino fructus, tam natu-
rales quam industriales, statim atque à solo separati sunt,
pleno jure sibi acquirit.

XXXIV.

In testamento tempore pestis factò septem testes præ-
cisè requiruntur.

XXXV.

Notoriè prodigo adversus ea quæ ante bonorum inter-
dictionem gessit beneficium restitutionis in integrum
non competit : sed ipso jure illæsus servatur.

XXXVI.

Minori confitenti delictum vel debitum de quo alias
non constabat, restitutio in integrum rectè denegatur.

XXXVII.

Tacitum pignus etiam in libris studiosorum pro pen-
sione & damno rei locatæ locum habet ; si in donum fu-
erint investiti vel illati.

XXXVIII.

Repressaliæ jurigentium & rectæ rationi minimè repu-
gnant.

Jus

XXXIX.

Jus offerendi luendiq; pignoris, longissima temporis præscriptione non tollitur.

XL.

Cuilibet licet proprium suum parietem aperire, lucis illac recipienda, imo etiam prospiciendi causa, quamvis hoc vicino displiceat.

XLI.

Qui incendii arcendi causa, vicinas ædes, ad quas ignis jã pervenit, demolitur, damnum resarcire non cogitur.

XLII.

Causæ matrimoniales rectius ex iure Civili, quam Canonico deciduntur.

XLIII.

Collationi locus est inter solos descendentes; non ascendentes, multò minus collaterales.

XLIV.

Simplex donatio à parentibus liberis tam suis quàm emancipatis facta, in collationem non venit.

XLV.

Æs alienum occasione studiorum à filio vivente patre contractum, ex communi solvendum est hereditate.

XLVI.

Qui mulierem vi vel persuasione abducit, matrimonii contrahendi causa, tanquam raptor capitis supplicio plectitur.

XLVII.

Mandans vulnerari, si mandatarius occidat; non de vulnerato; sed de occiso ex lege Cornelia tenebitur.

Statutum

XLVIII.

Statutum poenam pecuniariam pro homicidio imponens, irrationabile est.

XLIX.

Furiosus ante furorem ultimum supplicium promeritus, puniri potest durante furore, si nulla sit spes sanitatis.

L.

Tutor ob dolum & latam culpam à tutela remotus, infamis efficitur.

LI.

Haud justè cogitur juramentum purgationis præstare, qui stuprum fatetur; sed fidem de matrimonio datam negat: nisi gravissimis oneretur præsumptionibus.

LII.

Creditor ex re oppignorata vigore pacti antichreseos fructus percipiendo, omnes sibi acquirit; nec forti imputare tenetur, etiamsi legitimum usurarum modum excedant.

LIII.

Ad investituram feudi antiqui petendam, miles annum & mensem habet; reliqui annum & diem.

LIV.

Retorsio species defensionis est, & ideo omni jure permessa.

LV.

Gravissime hallucinantur, qui Canonicam graduum computationem Civili faciliorem & meliorem perhibent.

LVI.

Non soli principi supremo; sed cuilibet magistratui potestas salvi conductus concedendi competit.

LVII.

Privilegia Scholaribus concessa, ad Typographos, biblio-

bibliopolas, scribas, pugiles &c. non recte extenduntur

LVIII.

Damnati ad mortem jus testandi retinent, & ideò quo volunt modo de bonis disponere possunt.

LIX.

Scriptura est de essentia & existētia legis seu juris scripti.

LX.

Jus albinagii iniquum est, & rationi minime cōveniēs.

LXI.

Leges nostræ non exteriorem tantum obedientiam; sed interiorem quoq; requirunt.

LXII.

In bonis adventitiis filiifam. allodialibus usumfructum habet pater; non feudalibus.

LXIII.

Invocatio nominis divini, vel crucis venerabile signū, non est de substantia instrumenti.

LXIV.

Servus proprius testamento tutor datus, etiam sine libertate, tacite directam libertatem accepisse censetur.

LXV.

Rationi adversatur jus illud Anglorum, quod marito suum heredem adjudicat, cum quem nova nupta vel primo nuptiarum die in lucem edidit.

LXVI.

Inviti adolescentes Curatores non accipiunt, præterquam in litem.

LXVII.

Feram in proprio fundo vulneratam etiam in alieno licet persequi.

LXVIII.

Præda ex hoste relata illi rectius adiudicatur, qui hostē in fugam vertit, ut manus eiusdem evadere non potuerit, licet ab alio interea intercipiatur.

LXIX.

Actus esse potest etiam sine speciali itineris servitute.

B

Testes

LXX.

Testes signare testamentum possunt, non annulo tantum signatorio, sed & alio instrumento signum insculptum habente.

LXXI.

Donator non tenetur de evictione donatario.

LXXII.

Usuræ nec divino, nec naturali, nec Civili jure absolutè sunt prohibitæ.

LXXIII.

Judex si evitare non potest judicandi necessitatem, iudicabit secundum acta & probata, sprete propria conscientia.

LXXIV.

Maritus fideiussores pro conservanda dote, si sponte dare velit, non prohibetur; ad id tamen non cogitur.

LXXV.

Maritus dotis aestimato datæ Dominus verus est & naturalis, inæstimatæ quoad certos duntaxat effectus & iuris Civilis fictione.

LXXVI.

Cognitio de homicidio in confinio duorum territoriorum admisso, quod fieri potest, si in alio stetit occidens, in alio occisus, ad utrumque confinem pertinet. Alias ad illud tantum, in cuius territorio vulnus lethale inflictum est.

LXXVII.

Exheredatus suus manet, nec extinguitur suitas exheredatione.

LXXVIII.

Emphyteuta donare potest emphyteusin, etiam non requisito Domini consensu.

LXXIX.

Propter virginitatem amissam repudiari potest sponsa, quod tamen non admiserim in nova nupta, si dolo ab aliquo fuerit circumventa vel vi compressa.

LXXX.

Donatio semel perfecta ob supervenientiam liberorum
excepto

excepto unico casu, quo in libertum collata est, haud recte rescinditur.

LXXXI.

Ad consequendam possessionem, apprehensione opus est, nec iure Civili cognita est continuatio eiusdem in suos heredes.

LXXXII.

Partus ancillæ furtivæ apud bonæ fidei possessorem conceptus & editus usucapione acquiri potest.

LXXXIII.

Non puto publica delicta spatio viginti annorum præscriptione tolli ita posse, ut magistratui amplius nulla ex officio contra facinorosos procedendi facultas supersit.

LXXXIV.

Maritus beneficium competentiaæ habet nõ solum adversus uxorem, verum etiam adversus fideiussorem.

LXXXV.

Interdicto unde vi manifestus prædo experiri potest adversus verum rei dominum, si ab eo spoliatus & possessione deiectus sit.

LXXXVI.

Non est sufficiens indicium ad torturam, si ex cadavere occisi, adveniente incusato, cruor effluere incipiat.

LXXXVII.

Liberi à successione iuste exclusi, in computatione legitima non connumerantur.

LXXXVIII.

Sententia contra falsum procuratorem lata, nulla est quo ad principalem, non verò quo ad ipsum procuratorem, nam in hunc iudicati actio danda.

LXXXIX.

In diem debitum, si ante tempus solvatur, repeti nequit, nec inter usurium mediæ temporis debitori præstandum.

XC.

Qui rem furtivam sciens emit, iisdem quibus fur tenetur actionibus: si ignorans, rem Domino vindicanti nullo recepto pretio restituere necesse habet.

Mulier:

XCI.

Mulier senatusconsulti Velleiani beneficio renunciare potest, dummodo de eodem prius certioretur.

XCII.

SCTi Velleiani beneficio non gaudet mulier, quando creditore ignorante pro alio intercessit, quamvis fraudis expers sit.

XCIII.

Compensatio tunc locum habet, quando res fungibiles utrinq; debentur eiusdem generis.

XCIV.

Duplicem dari in iure nostro infamiam, iuris videlicet & facti, optimè defendi potest.

XCV.

Depositum non tantum in rebus mobilibus, verum etiam in rebus immobilibus consistere potest.

XCVI.

Jurisdictio simplex & mixtum imperium res una & eadem non est.

XCVII.

Furti actio pro re quoq; minima surrepta competit.

XCVIII.

Jus accrescendi in omnibus coniunctis locū habet, ita tamē ut qui re & verbis coniuncti sunt, omnimodo cæteris præferantur, his subsequantur qui verbis, ultimum vero locum obtineant, qui re tantum coniuncti reperiuntur.

XCIX.


Relicta ad pias causas, deficiente causa ob quam data sunt, caduca minimè fiunt, nec ad heredes revertuntur, sed ad alias pias causas converti debent.

C.

A iudicis sententia laudum arbitratoris confirmantis vel infirmantis, appellare non prohibentur litigantes.

FINIS.

VDTT



Kodak
LICENSED PRODUCT
Black

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

